In precedenti capitulo audiuimus de beate virginis annunciacione
Consequenter audiamus de ipsius ortu siue generacione
Progenies marie processit hinc de stirpe iesse patris dauid
De quo ysaias per spiritum pulcre vaticinauit
Prophecia ysaie legitur hec esse
Egredietur virga de radice iesse
Et flos de radice eius ascendet.
Super quem septiformis gracia spiritus sancti requiescet.
Hec virga est maria fecundata per celestem rorem.
Que produxit nobis christum amenissimum florem
In hoc flore inueniuntur septem medicamenta bona.
Per que designantur sancti spiritus septem dona.
Inueniuntur in hoc flore tactus odor et fructus
Color folia succus et gustus.
Hec septem sunt egrotanti anime valde medicinalia
Contra septem peccata mortalia
Tactu huius floris homo timore superbie exoneratur
Et dono timoris ad cognicionem sui humiliatur
Qui enim cogitat quomodo tactus est christus propter superbie tumorem
Humiliat se et incipit habere dei timorem
Si enim deus a luciferi angelis noluit superbiam sustinere
Multo minus vult hominem superbientem secum habere.
Ipsi habebant gracias vnde quodammodo poterant gloriari.
Quid habet putredinosus de quo possit eleuari
Odore huius floris duricia inuidie cordis mollificatur
Et dono pietatis ad compassionem afflictorum dilatatur.
Inuidus enim ad nullius afflictionem commouetur
Pius autem omni afflicto compatitur et miseretur.
Qui ergo suscepit odorem id est exempla sui saluatoris
Pius et compassiuus est afflictis omnibus horis.
Exemplo enim domini nostri ihesu christi flet cum flentibus.
Et compatitur tam in anima quam in corpore pacientibus
Fructu huius floris vesania ire remouetur
Et dono sciencie homo decenter conuersari cum hominibus edocetur.
Homo iracundus nullam habet in mente discrecionem.
Et ideo nescit bonam et decentem conuersacionem
Donum sciencie mansuetum est et suaue.
Et docet bene conuersari in medio nacionis praue
Qui ergo huius floris fructum id est christi opera voluit imitari
Ex ipsius operibus discat cum hominibus debite conuersari
Colore huius floris paralisis accidie propulsatur.
Et dono fortitudinis ad sustinendum homo corroboratur.
Nullam enim sentit penam nec veretur laborem.
Qui intuetur huius floris id est crucifixi colorem.
Si enim elephas aspectu sanguinis vue ad pugnam animatur
Multo magis homo aspectu sanguinis christi ad laborem fortificatur
Qui ergo deuote respexerit roseum colorem huius floris
Hilariter operatur et sustinet in omnibus horis.
Folijs huius floris ydropisis auaricie profugatur
Et dono consilij sitis pecuniarum refrenatur

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0018
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt